

Francisco Suárez, S. J.
DM II, SECT. 4¹

IN WHAT THE NATURE OF BEING INsofar AS [IT IS] BEING CONSISTS AND HOW IT AGREES WITH LOWER BEINGS (In quo consistat ratio entis in quantum ens, et quomodo inferioribus entibus conveniat)

1. *What Avicenna understands by the name 'being'.*—When it is said that being expresses one objective concept, it is necessary to indicate briefly in which of either formal or essential the nature consists, at least through some description or explication of the term. For, when that nature is most abstract and simple, it cannot properly be defined. Therefore, the opinion of Avicenna (to which the Commentator [Averroes] and St. Thomas refer in *Metaph.* IV, com. 3 and X, com. 8) was that being signifies a certain accident common to all existing things, without doubt the same being that was said to fall upon (*accidere*) things, since it can confer it to them or withhold it. This opinion is founded in the signification of the word 'being' (*ens*). For it is derived from the word 'am' (*sum*), and is a participle of it. The word 'am', however, strictly speaking, signifies the act of being or existing. For to be and to exist are the same, as is clear from the common use and signification of these words. Therefore, 'being' signifies equally that which is. For this reason in the writings of Aristotle in *Phys.* I, text. 17 and many other places in the place of being is put down that which is, i.e., that which has the act of being or existing, so that being is the same as the existing. Therefore, being taken formally expresses being or existence which is beyond the quiddity of things.

Quid entis nomine intelligat Avicenna.—Cum dictum sit ens dicere unum conceptum obiectivum, oportet in quo eius formalis seu essentialis ratio consistat breviter declarare, saltem per descriptionem aliquam aut terminorum explicationem; nam, cum illa ratio sit abstractissima et simplicissima, proprie definiri non potest. Fuit ergo opinio Avicennae, quam referunt Commen. et D. Thomas, IV *Metaph.*, com. 3, et lib. X *Metaph.*, com. 8, ens significare accidens quoddam commune rebus omnibus existentibus, nimirum ipsum esse quod rebus accidere dixit, cum eis possit conferri et auferri. Quae opinio fundata est in significatione vocis ens; derivatur enim a verbo sum, estque participium eius; verbum autem sum, absolute dictum, significat actum essendi seu existendi; esse enim et existere idem sunt, ut ex communi usu et significatione horum verborum constat; significat ergo adaequate ens id quod est;

¹Latin text is from http://homepage.ruhr-uni-bochum.de/Michael.Renemann/suarez/suarez_dm2.html. Retrieved Jan. 29, 2008.

unde apud Aristotelem, lib. I Phys., text. 17, et saepe alibi, loco entis ponitur id quod est, id est, quod habet actum essendi seu existendi, ut idem sit ens, quod existens; dicit ergo ens de formali esse seu existentiam quae est extra rerum quidditatem.

2. Touching on this opinion, [Domingo de] Soto, passing over in silence the name of Avicenna, at the end of c. 4, q. 1 of *Antepraed.*, first says that 'being' is always a participle of the word 'am', just as 'existing' of the word 'exist' and, taken formally, signifies being, but taken materially [signifies that] which has being. But afterwards he declares that being not only signifies that which actually is, as existing, but that which is either actually or potentially, because it is truly said of a non-existing human that he is a being, just as that he is an animal or a substance. And nevertheless he concludes that being is not said quidditatively of things, especially created [things], because it expresses a disposition to being which is beyond the essence of a creature.

And in this is constituted the difference between being and thing: that thing is predicated quidditatively, because it signifies the true and fixed quiddity, strictly speaking, and without regard to its being. Being, however, does not predicate quidditatively, because it does not signify quiddity, strictly speaking, but under the concept of being or insofar as it can have being. And by this reason he considers the remark from Aristotle, *Metaph.* VIII, text. 16: being is supposed in the definitions of things. This entire doctrine seems to be taken up by Soto from Cajetan, *De ente et essentia*, c. 4, just before q. 6, where contrary to the others he says that Avicenna is only blamed, because he calls being predicated accidentally. For, properly, being is not accidental but a substantial act. But he is not deserving of the blame, by the fact that he denies that being is predicated essentially or quidditatively. For this is true, since being is beyond quiddity, and he cites St. Thomas, *Quodl.* II, a. 3, speaking of being being predicated essentially only of God, which he also indicates in [ST] Ia.3.4 and 5 and [SCG] I, c. 25 and 26.

Hanc opinionem attingens Soto, tacito nomine Avicennae, c. 4 Antepaed., q. 1, in fine, prius dicit ens semper esse participium verbi sum, sicut existens, verbi existo, et de formali significare esse, de materiali vero, quod habet esse; postea vero declarat ens non solum significare quod actu est, sicut existens, sed quod est actu vel potentia, quia de homine non existente vere dicitur esse ens, sicut esse animal vel substantiam, et nihilominus concludit ens non dici quidditative de rebus praesertim creatis, quia dicit habitudinem ad esse, quod est extra essentiam creaturae. Et in hoc constituit differentiam inter ens et res, quod res quidditative praedicatur, quia significat quidditatem veram et ratam absolute, et sine ordine ad esse; ens autem non praedicatur quidditative, quia non significat absolute quidditatem, sed sub ratione essendi, seu quatenus potest habere esse; et hac ratione existimavit dictum ab Aristotele, VIII *Metaph.*, text. 16, ens non poni in definitionibus rerum. Quam totam doctrinam videtur sumpsisse Soto ex Caiet., opusculo *De Ente et essentia*, c. 4, proxime ante q. 6, ubi praeter alia dicit Avicennam solum reprehendi, quia vocat ens praedicatum accidentale; proprie enim esse non est accidens, sed

substantialis actus; non vero esse reprehensione dignum, eo quod neget ens esse praedicatum essenziale seu quidditativum; hoc enim verum est, cum esse sit extra quidditatem, citatque Div. Thomam, *Quodl. II*, a. 3, dicentem ens de solo Deo praedicari essentialiter, quod etiam significat *I*, q. 3, a. 4 et 5, et *I cont. Gent.*, c. 25 et 26.

3. *Being, both participle and noun.*—In order to explain this matter and remove the equivocation, we should make use of the usual distinction of being, which Cajetan and Soto rejected above without cause. But Fonseca rightly embraces it, *Metaph. IV*, c. 2, q. 3, sect. 2, and St. Thomas suggests it well enough in the cited *Quodl.* [passage] although not in the same words. Being, therefore, as was said, is sometimes taken as a participle of the word ‘am’ and as such it signifies the act of being as exercised and is the same as existing actually. But sometimes it is taken as a noun signifying, taken formally, the essence of the thing which has or can have being. And it can be said to signify the being itself, not as actually exercised, but its potency or aptitude, just as living, [taken] as a participle, signifies the actual use of life, but [taken] as a noun signifies only that which has a nature which can be alive by the operation of a principle.

Moreover, that this necessary distinction ought to be admitted from the afore mentioned authors is clear, for the former signification is founded in a property and rigor of the word ‘am’, which strictly said signifies actual being or existence. Whence also the dialecticians say that in a proposition as a second adjacent the word is never free from time. And it is clear also from common use, for if someone says that Adam is, it signifies that he exists. Moreover, this word in rigour has its participle included in itself, into which the just-mentioned proposition can be resolved. On the other hand it is clear from common use that ‘being’, also having been assumed through real being (as we now say), not only applies to existing things, but also to natures that are real considered in themselves, whether they exist or not. This is the manner in which metaphysics considers being and in this way being is divided into ten categories.

But being in this signification does not retain the force of the participle, because the participle co-signifies time and thus signifies an actual exercise of being or existing. And therefore this word, ‘existing’, can never be said concerning a thing which does not actually exist, because it always retains the force of the participle of the word ‘exist’. Therefore, it is necessary that being in this latter signification be taken with the force of a noun. Hence, the previously mentioned authors in the matter itself admit this partition, although they condemn it in words. For it is the same thing to say that being sometimes signifies an actually existing thing, sometimes potentiality only, than to say that sometimes it is taken as a participle but at other times as a noun, or, as others say, participially and nominally. Because by this itself that being does not signify actual entity and existence, it is no longer taken in the force of a participle but as a verbal noun. Hence, St. Thomas, in the cited *Quodl.*, after he has discussed being, just as it is said from actual being, it is applied: But it is true that this noun ‘being’ follows what conveys a thing to which being is adequate in this way, as it signifies the essence of the thing and is divided into ten genera.

Ens et participium, et nomen.—Ad explicandam hanc rem et tollendam aequivocationem, utendum nobis est usitata distinctione entis, quam Caietan. et Soto supra sine causa reiiciunt. Fonseca vero merito eam amplectitur, IV Metaph., c. 2, q. 3, sect. 2, eamque satis insinuat D. Thomas, dict. Quodl., licet non eisdem verbis. Ens ergo, ut dictum est, interdum sumitur ut participium verbi sum, et ut sic significat actum essendi ut exercitum, estque idem quod existens actu; interdum vero sumitur ut nomen significans de formali essentiam eius rei quae habet vel potest habere esse, et potest dici significare ipsum esse, non ut exercitum actu, sed in potentia vel aptitudine, sicut vivens, ut est participium,² significat actualem usum vitae, ut vero est nomen significat solum id quod habet naturam quae potest esse vitalis operationis principium. Quod autem haec distinctio necessario a praedictis auctoribus admittenda sit, patet, nam prior significatio fundata est in proprietate et rigore verbi sum, quod absolute dictum actuale esse seu existentiam significat; unde etiam dialectici dicunt in propositione de secundo adiacente verbum est nunquam absolvi a tempore. Et patet etiam ex communi usu, nam si quis dicat Adam est, significat ipsum existere. Habet autem hoc verbum in rigore suum participium in ipso inclusum, in quod potest resolvi praedicta propositio. Rursus constat ex communi usu ens, etiam sumptum pro ente reali (ut nunc loquimur), non solum tribui rebus existentibus, sed etiam naturis realibus secundum se consideratis, sive existant, sive non; quomodo metaphysica considerat ens, et hoc modo ens in decem praedicamenta dividitur. Sed ens in hac significatione non retinet vim participii, quia participium consignificat tempus, et ita significat actuale exercitum essendi seu existendi, et ideo haec vox, existens nunquam dici potest de re quae actu non existat, quia semper retinet vim participii verbi existo; ergo necesse est ens in hac posteriori significatione sumi in vi nominis. Unde praedicti auctores re ipsa admittunt hanc partitionem, quamvis verbis contemnant, nam perinde est dicere ens interdum significare rem actu existentem, interdum potentia tantum, quod dicere interdum sumi ut participium, aliquando vero ut nomen, seu ut alii loquuntur, participialiter et nominaliter. Quia hoc ipso quod ens non significat actualem entitatem et existentiam, iam non sumitur in vi participii, sed tamquam nomen verbale. Unde D. Thom., in dicto Quodl., postquam tractavit de ente, prout dicitur ab actuali esse, subdit: Sed verum est quod hoc nomen ens secundum quod importat rem cui competit huiusmodi esse, sic significat essentiam rei, et dividitur per decem genera.

Resolution of the question (Quaestionis resolutio)

4. *What the participle 'being' conveys.*—Therefore, by having assumed this signification of the word, the resolution of the question in general is easily taken up. First, indeed, it should be said, being taken in actuality as the signification of that word is taken with the force of a participle, the nature of it consists in this, that it is something actually existing or

²Cf. editionem Bibliotheca Hispanica de Filosofía, Madrid 1960, Bd. I, S. 416, Fussnote: "Creemos que la palabra *principium*, que sustituye a *participium* en algunas ediciones, carece de sentido (N. de los EE.)".

having the real act of being or having actual reality, which is distinguished from potential [reality] that is nothing in actuality. This whole, when it consists only in a disclosure of a most simple concept cannot be shown otherwise than as explicated from the general mode of conceiving and from the signification of the word by us. And, finally, from what was said in the preceding sections it can be agreed that being under this aspect can have one formal and objective concept, common to all actually existing beings, since they are similar to each other and agree in actual being and entity. It is also clear that that concept can be signified by this word. Therefore, the nature of being thus taken and its concept cannot consist in anything else nor can it be explained otherwise.

Ens participium quid importet.—Hac ergo supposita vocis significatione, facilis est quaestionis resolutio in communi sumpta. Dicendum est enim primo, sumpto ente in actu, prout est significatum illius vocis in vi participii sumptae, rationem eius consistere in hoc, quod sit aliquid actu existens, seu habens realem actum essendi, seu habens realitatem actualem, quae a potenciali distinguitur, quod est actu nihil. Hoc totum, cum solum consistat in declaratione simplicissimi conceptus, non potest aliter probari quam ex communi modo concipiendi et ex significatione vocis a nobis explicatae. Ac denique, quia ex dictis in praecedentibus sectionibus constare potest ens sub hac ratione posse habere unum conceptum formalem et obiectivum, communem omnibus entibus actu existentibus, cum inter se similia sint et convenient in actuali esse et entitate, constat etiam posse conceptum illum hac voce significari; ergo entis sic sumpti et conceptus eius ratio non potest in alio consistere, nec potest aliter explicari.

5.

Dico secundo: si ens sumatur prout est significatum huius vocis in vi nominis sumptae, eius ratio consistit in hoc, quod sit habens essentiam realem, id est non fictam nec chymaericam, sed veram et aptam ad realiter existendum. Probatio huius conclusionis eadem proportionaliter est quae praecedentis, quia hic simplex conceptus non potest alio modo intelligi aut explicari.

Quid sit essentia realis

6.

Ens nomen quid.—Solum restabat exponendum quid sit essentia realis, vel in quo ratio eius consistat; nam cum essentia sit secundum quam res dicitur seu denominatur ens, ut Div. Thom. ait, De Ente et Essentia, c. 2, quod maxime verum est de ente in hac acceptione sumpto, ideo non potest satis explicari in quo consistat ratio entis realis, nisi intelligatur in quo consistat essentia realis. In quo duo peti possunt, quae illis duabus vocibus indicantur: primum, in quo consistat ratio essentiae; secundum, in quo consistat quod realis sit. Primum

non potest a nobis exponi, nisi vel in ordine ad effectus vel passiones rei, vel in ordine ad nostrum modum concipiendi et loquendi. Primo modo dicimus, essentiam rei esse id quod est primum et radicale, ac intimum principium omnium actionum ac proprietatum quae rei conveniunt, et sub hac ratione dicitur natura uniuscuiusque rei, ut constat ex Aristot., V *Metaph.*, text. 5; et notat D. Thomas, *De Ente et Essentia*, c. 1, et *Quodl.* I, a. 4, et saepe alias. Secundo autem modo dicimus essentiam rei esse quae per definitionem explicatur, ut dicit etiam D. Thomas, dicto opusculo *De Ente et Essentia*, c. 2, et sic etiam dici solet illud esse essentiam rei quod primo concipitur de re; primo (inquam) non ordine originis (sic enim potius solemus conceptionem rei inchoare ab his quae sunt extra essentiam rei), sed ordine notabilitatis potius et primitatis obiecti; nam id est de essentia rei, quod concipimus primo illi convenire et primo constitui intrinsece in esse rei vel talis rei, et hoc modo etiam vocatur essentia quidditas in ordine ad locutiones nostras, quia est id per quod respondemus ad quaestionem quid sit res. Ac denique appellatur essentia, quia est id quod per actum essendi primo esse intelligitur in unaquaque re. Ratio ergo essentiae his modis potest a nobis declarari.

7.

Quid autem sit essentiam esse realem, possumus aut per negationem aut per affirmationem exponere. Priori modo dicimus essentiam realem esse quae in sese nullam involvit repugnantiam, neque est mere conficta per intellectum. Posteriori autem modo explicari potest, vel a posteriori per hoc quod sit principium vel radix realium operationum vel effectuum, sive sit in genere causae efficientis, sive formalis, sive materialis; sic enim nulla est essentia realis quae non possit habere aliquem effectum vel proprietatem realem. A priori vero potest explicari per causam extrinsecam (quamvis hoc non simpliciter de essentia, sed de essentia creata verum habeat), et sic dicimus essentiam esse realem, quae a Deo realiter produci potest, et constitui in esse entis actualis. Per intrinsecam autem causam non potest proprie haec ratio essentiae explicari, quia ipsa est prima causa vel ratio intrinseca entis et simplicissima, ut hoc communissimo conceptu essentiae concipitur; unde solum dicere possumus essentiam realem eam esse quae ex se apta est esse, seu realiter existere. His ergo modis, potest a nobis communis ratio entis declarari; magis autem exacta huius rei intelligentia pendet ex pluribus quaestionibus. Prima est, qualis sit entitas essentiae realis, quando actu non existit. Secunda, quid sit existentia actualis, et ad quid necessaria sit in rebus. Tertia, quomodo existentia distinguatur ab essentia. Sed quia hae quaestiones propriae fere sunt entis creati, et prolixam requirunt disputationem, ideo eas usque ad disputationem 7 differimus, contenti pro nunc praedicta entis et essentiae descriptione.

Ens in actu et in potentia in quo conveniant

8.

Una vero dubitatio circa duas conclusiones positas hic praetermitti non potest, quamvis attingat divisionem entis in ens in actu et ens in potentia; scilicet, an illa duplex significatio entis nominaliter et participialiter sumpti sit mere aequivoca, vel ita analoga ut nullus conceptus communis utrique membro ei respondeat, an vero habeat aliquem conceptum communem; nam si hoc posterius dicatur, nondum est a nobis communissima ratio entis satis explicata; declaravimus enim singulorum membrorum rationes, non autem rationem entis, ut communis et abstrahentis ab utroque membro. Deinde difficillimus erit ad explicandum talis conceptus et ratio eius, immo et nomen, quia nec significabitur per ens nominaliter sumptum nec participialiter; non potest autem fingi alius modus significandi abstrahens ab his duobus. Si vero dicatur primum, sequitur non posse dari conceptum entis communem Deo et creaturis, ut possibilibus, sed tantum ut actu existentibus, quod videtur plane falsum et contra communem modum concipiendi, et contra omnia supra dicta de communissimo conceptu entis. Sequitur deinde hominem aequivoce dici de vero homine possibili, vel actu existente. Patet sequela, quia eadem est ratio de homine respectu illorum duorum membrorum, quae est de ente respectu entis in actu et in potentia seu de ente nominaliter et participialiter sumpto; nam, ut participium significat ens in actu, ita nomen ens in potentia. Consequens autem videtur plane falsum; nam homo ex vi eiusdem impositionis significat hominem, sive actu existentem, sive possibilem; immo et simplex conceptus hominis, qui illi voci respondet, aequae repraesentat hominem existentem vel possibilem; non est ergo ibi significatio aequivoca; idem ergo est proportionaliter de ente sub illa duplici ratione seu significatione sumpto, et de conceptu qui illi respondet.

9.

Resolutio.—Exemplum accommodatum ad resolutionis intelligentiam. Respondetur ens secundum illam duplicem acceptionem non significare duplicem rationem entis dividendam aliquam communem rationem seu conceptum communem, sed significare conceptum entis magis vel minus praecisum: ens enim in vi nominis sumptum significat id quod habet essentiam realem praescindendo ab actuali existentia, non quidem excludendo illam seu negando, sed praecisive tantum abstrahendo; ens vero ut participium est, significat ipsum ens reale seu habens essentiam realem cum existentia actuali, et ita significat illud magis contractum. Unde, sicut animal dictum de ipso genere praecise sumpto et de bruto quatenus tale animal est, non dividit aliquem conceptum communem ad animal ut sic et tale animal, sed dicit eandem rationem animalis ut praecisam vel ut contractam, ita dicendum est de ente sub illa duplici acceptione. Magisque accommodatum exemplum est in dispositione, ut significat quamdam speciem qualitatis ab habitu distinctam et genus utrique commune; non enim habet aliquam significationem communem, qua immediate significet alium conceptum communem generi et speciei (id enim impossibile

est, quia generi et speciei nil est commune praeter ipsum conceptum generis); significat ergo vel immediate genus ipsum, vel immediate speciem quamdam duplici significatione. Ita ergo ens non significat conceptum aliquem communem enti nominaliter et participialiter sumpto, sed immediate habet duplicem significationem, qua significat vel ens praescindendo ab actuali existentia vel ens actu existens. Quocirca illa duplex significatio vel aequivoca est vel maxime ad aequivocationem accedit secundum quamdam translationem fundatam in aliqua proportionalitate. Primo enim ens significasse videtur rem habentem esse reale et actuale, tamquam participium verbi essendi; inde vero translata est illa vox ad praecise significandum id quod habet essentiam realem. Cuius simile etiam est in voce illa dispositio; nam, ut significat genus et speciem, sine dubio habet aequivocam significationem, vel ad summum analogam secundum quamdam proportionalitatem.

10.

Igitur ad exemplum de voce homo, quod in contrarium afferebatur, respondetur non esse simile; nam homo non habet duplicem significationem, unam qua significet hominem praecise vel in potentia, aliam qua significet hominem existentem ut sic, sed unicam tantum, qua significat hominem praecise, sive existat sive non; quae significatio est proportionalis vel similis illi quam habet ens solum in vi nominis sumptum. Alia vero, quam habet in vi participii, non reperitur in hac voce homo, neque est ullus terminus incomplexus et simplex, qui significet totum hoc quod hac voce complexa significatur, homo existens. Quod si fingamus vocem hominis transferri ad totum hoc significandum, iam habebit duplicem significationem aequivocam, quam dicimus esse in nomine entis.

11.

Ex quo ulterius intelligitur ens sumptum in vi nominis non significare ens in potentia, quatenus privative vel negative opponitur enti in actu, sed significare solum ens ut praecise dicit essentiam realem, quod valde diversum est; sicut enim abstractio praecisiva diversa est a negativa, ita ens nominaliter sumptum, licet praecise dicat ens habens essentiam realem, non vero addit negationem, scilicet carendi existentia actuali, quam negationem seu privationem addit ens in potentia. Quod inde etiam manifeste patet, nam ens in vi nominis sumptum commune est Deo et creaturis, et de Deo affirmari vere potest; ens autem in potentia nullo modo potest praedicari de Deo; immo nec de creaturis existentibus ut sic proprie dicitur, quia iam non sunt in potentia sed in actu; cum tamen de illis dici possit ens, tam ut participium quam ut nomen, quia, licet habeant actualem existentiam, vere etiam de illis dicitur quod habent essentiam realem, praescindendo et non negando actualem existentiam.

12.

Unde tandem intelligitur ens praecise sumptum, ut in vi nominis significatur, proprie dividi posse in ens in actu et ens in potentia et ens in actu idem esse quod ens significatum per hanc vocem in vi participii sumptam, atque ita illa duo significare rationem entis vel praecisam vel determinatam ad actualem existentiam, sive haec determinatio essentialis sit, ut est in Deo, sive sit extra essentiam, ut censetur esse in creaturis, de qua re inferius disputandum; ens autem in potentia dicit etiam reale ens, quantum ad realem essentiam, contractum et determinatum non per aliquid positivum, sed per privationem actualis existentiae. Ens autem sic contractum, seu prout in tali statu conceptum, non significatur per hanc vocem ens, nec per aliquam aliam incomplexam quae mihi nota sit, sed solum per hos terminos complexos, ens possibile, ens in potentia et similes; quae omnia sunt diligenter advertenda, nam ex his vocum significationibus multum pendet vera rerum conceptio, et ex his magna etiam ex parte obiter exposita est divisio entis in ens in actu, et ens in potentia, quam iterum postea ex professo tractabimus.

Ens an sit praedicatum essentiale

13.

Atque hinc obiter colligitur rationem entis communissimam, quae significatur per eam vocem in vi nominis sumptam, esse essentialem et praedicari quidditative de suis inferioribus, quamvis ens, ut actualem dicit existentiam et significatur per participium essendi, absolute non sit praedicatum essentiale, nisi in solo Deo. Haec posterior pars, quatenus ad Deum spectat theologica est, et ex principiis naturalibus tractari solet infra, lib. XII, et eam late disserui in tom. I tertiae partis, in disp. XI, sect. 1, et aliquid attingemus infra, disputando de Deo. Quantum vero spectat ad creaturas, pendet ex dicendis infra de distinctione existentiae ab essentia in creatura; nunc supponamus, sive distinguantur, sive non, absolute esse dicendum existere non esse de essentia creaturae, quia potest illi dari et ab illa auferri, et ita non habet necessariam connexionem cum essentia creaturae praecise concepta, sub qua ratione est invariabilis et necessario dicitur de unaquaque re cuius est essentia; hac ergo ratione ens participialiter sumptum dicitur non praedicari quidditative seu essentialiter de creaturis, et quoad hoc vera est opinio Avicennae supra recitata, eamque admittit D. Thomas, dicto Quodl. 2, et aliis locis supra citatis, solumque potest Avicenna reprehendi, vel eo quod existentiam putaverit esse verum accidens, de quo infra suo loco, vel eo quod aliam acceptionem et explicationem entis omiserit, et ideo simpliciter negandum putaverit ens sub aliqua ratione, sub qua in decem praedicamenta dividitur, esse posse essentialiter omnibus illis.

14.

Probatur ergo altera conclusionis pars (quam immerito Soto negare videtur), quia habere essentiam realem convenit omni enti reali estque illi maxime essentielle; ergo ens sub praedicta ratione est praedicatum essenziale. Praeterea, esse ens hoc modo convenit creaturae, etiamsi non existat, quomodo haec propositio: homo est ens, dicitur esse aeternae veritatis; sed non convenit illi per se secundo, ut proprietas aliqua, quia non supponit aliquid prius a quo dimanet tamquam passio; nam potius ille est primus conceptus cuiusvis entis realis; ergo convenit ut praedicatum essenziale et de quidditate rei. Et hoc modo dixit D. Thom., dicto Quodl., ens significare essentiam rei et dividi per decem genera. Aristoteles autem dixit ens non poni in definitionibus, non quia sit extra quidditatem, sed quia non dicit determinatam naturam, sed intime transcendit omnia, sicut alii dicunt de ente, ut significatur hac voce, res, de quo Soto supra concedit quidditative praedicari, quia significat absolute quidditatem realem; idem enim est significare quidditatem realem, quod significare essentiam realem, quam significat ens, ut praescindit ab actuali existentia, quia essentia et quidditas idem omnino est, solumque etymologia nominum est diversa. Quod vero essentia aut quidditas realis sit, intelligi non potest sine ordine ad esse et realem entitatem actualem; non enim aliter concipimus essentiam aliquam, quae actu non existit, esse realem nisi quia talis est ut ei non repugnet esse entitatem actualem, quod habet per actualem existentiam; quamvis ergo actu esse non sit de essentia creaturae, tamen ordo ad esse vel aptitudo essendi est de intrinseco et essentiali conceptu eius; atque hoc modo ens praedicatum est essenziale.

15.

Unde obiter colligo ens in vi nominis sumptum et rem idem omnino esse seu significare, solumque differre in etymologia nominum; nam res dicitur a quidditate, quatenus est aliquid firmum et ratum, id est, non fictum, qua ratione dicitur quidditas realis; ens vero in praedicta significatione dicit id quod habet essentiam realem: eandem ergo omnino rem seu rationem realem important. Unde Avicenna, tract. I suae Metaph., c. 6, quia non distinxit illam duplicem significationem entis, eam divisit inter ens et rem; nam ens dixit de formali significare actualem existentiam, rem vero solum quidditatem seu essentiam realem, ut notavit D. Thomas, In II, dist. 37, q. 1, a. 1. Ergo attribuendo enti illam duplicem significationem supra explicatam, altera coincidit cum significatione nominis res, scilicet, illa quae convenit enti in vi nominis sumpti. Et ita Div. Thomas, in dict. Quodl. II, dicit nomen ens, secundum quod importat rem cui competit esse, significare essentiam rei et dividi per decem genera. Et per haec satisfactum est omnibus quae circa primam opinionem adducta sunt.